

Anno à natiuitate domini millesimo quadringentesimo decimo sexto, indictione **D** nona, die uero Iouis XXX. mensis Ianuarij, fuit celebrata congregatio generalis in maiori ecclesia Constantiensis, pro relatione ambasiatorum missorum ad Petrum de Luna, in sua obedientia Benedictum decimum tertium nominatum, et serenissimū principem dominum Ferdinandum Aragonum regem, et reuerendissimus pater dominus Iacobus archiepiscopus Turonensis unus de ambasiatoribus missis ex parte concilij, existens in arbore unā cum collegis suis, nomine proprio & coambasiatorum suorum fecit relationem legationis suæ. Qua facta, legit quosdam articulos siue capitula per serenissimum principem dominum Sigismundum Romanorum & Hungariæ regem ac ambasiatores sacri concilij ex una, & dominos de obedientia ipsius Petri de Luna Narbonæ concordata, ex altera partibus. Quorum capitulorum tenor de uerbo ad uerbum sequitur, & est talis:

Die ueneris XIII. mensis Decembris, Anno domini millesimo quadringentesimo decimo quinto, indictione octaua, in capitulo nouæ ecclesiæ Narbonens. in camera magna turris noui palatii episcopalis Narbonæ hora secunda post meridiem, ante tamen prandium, capitula sequentia per serenissimum dominum Romanorum regem & dominos legatos concilij Constantiensis, sic per eius obedientiam nuncupari ab una parte, & dominos ambasiatores dominorum illustrissimorum regum & potentum aliorum dominorum principum obedientiæ domini Benedicti decimi tertij, sic etiam **E** per eius obedientiam nuncupati ab altera, pro unione in sancta dei ecclesia cōsequenda, concordata extiterunt cum dei adiutorio modo infra scripto:

¶ Tenor capitulorum concordatorum.

Primo, quod conuocatio fiat per prælatos cæterosq; uiros ecclesiasticos in dicto concilio Constantiensis, sic per eius obedientiā (ut præfertur) nuncupato existentes & congregatos de regibus & principibus prædictis, cardinalibus & prælatis, cæterisq; uiris de obedientia dicti domini Benedicti papæ decimi tertij, sic etiam per eius obedientiam (ut præfertur) nuncupati, qui ad generale concilium debent & sunt consueti uocari per literas opportunas dictorum dominorum de concilio Constantiensis, quæ emanant ab eis sub nominibus generalibus, & sub denominatione tituli dignitatum siue nominum appellatiuorum sine expressione propriorum nominum uel priorum dignitatum, secundum formam hic concordatam & inferius insertam. Et quod dictæ literæ dirigantur nedum ad dominos reges & principes & cardinales, sed & ad alios quoscumque prælatos obedientiæ prædicti domini Benedicti. Et quod dicti domini reges & principes ipsius obedientiæ sumant onus faciendi præsentari **F** dictas literas conuocatorias quilibet in regno & principatu suo prælatis suæ iurisdictionis, & specialiter dominus rex Aragonum sumat onus faciendi præsentari dictas literas conuocatorias regibus & principibus dictæ obedientiæ ista capitula firmitatis, & quod in dictis literis conuocatorijs præfigatur terminus ad interessendum in ciuitate Constantiensis pro inueniendo se, & faciundo concilium generale unā cum alijs ibidem congregatis, trium mensium computandorum à die præsentatiōis dictarum literarum fiendæ domino regi Aragonum in Perpiniano (si fuerit) uel alijs in ciuitate Barchinonensi. (si fuerit præsens uel absens) & in casu absentiæ sufficiat præsentare literas antedictas uicario regis uel consiliarijs dictæ ciuitatis aut maiori parti eorundem. Et uicuerſa, quod præfati domini reges & principes maxime dictæ obedientiæ domini Benedicti, faciant literas conuocatorias ad prænominatos prælatos, cæterosq; dominos de concilio Constantiensis similes literis conuocatorijs ab illis de concilio emanandis, ut præfertur, uel per suos ambasiatores uel procuratores mittendos, sufficienti potestate suffultos, ibidem in Constantia congregatos conuocabunt, hoc addito ac etiam intellecto, quod literæ conuocationis mittantur ad dominum regem Aragonum sexaginta numero, uidelicet uiginti quæ dirigantur ad serenissimum